Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2571
Quelle:
Copyright:

generale, ut videre est in *Hist. Univ. Paris. Egassii Bulaei* T. IV. ad an. 1394. ubi tamen Literae nostrae desunt, quamvis eae, quae ad *Oxoniences* datae sunt, p. 751. recitentur.

XXIII. *fol.* 182. p. 2. *Copia litere responsionis vniuersitatis wyenens.* Adlatae erant Literae praecedentes ad Academiam nostram per *Job. Breuiscoxe* (Courtecuisse) *sacre theologie doctorem*, *Job. de Austria licenciatum in eadem*, *et Job. mercatorem in artibus magistros*, ut e Responso patet, cujus initium: *Reuerendissimi Domini — Quid flammeis caritatibus vestris rescribere possumus nisi gemitum et planctum lugubrem* &c. Adhaerent *Bonifacio*; viam tamen *cessionis* probarent, si ille adnueret, id, quod agendum ajunt Epistolis Principum *Austriae* ad *Francorum* Regem. Universitatem suam *Parisinae filiam primogenitam* vocant et subdunt: *Wyenne die 12. mensis may Anno domini &c. 96. Tempore rectoratus venerabilis viri magistri colmanni de noua uilla.* Rem totam narrat *Conspectus Hist. Univ. Vien.* P. I. p. 62. Responsum vero ipsum non adfert.

XXIV. *fol.* 184. Oratio, qua luctuosa Ecclesiae schismate laborantis facies depingitur, in illud: *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.* Incipit: *Quamquam non dubitem per multos maiores prelatos doctores et magistros meos in suis exhortacionibus et collacionibus destendum sponse christi puta ecclesie statum ante me multis vijs et modis varijs luculenter expositum* &c. Magnam culpae partem Orator a Clero in Principes et Magistratus transfert, nec abs re.

XXV. *fol.* 188. Lessus carmine hexametro in Schisma Ecclesiae, hoc initio:

Impia que flentem laniant nunc scismata mundum,
Et rabidi gemitus districto viscere corda
Nostra trahunt &c.

Loci communes, e quibus nihil ad historiam concludas, nisi fortasse e peroratione:

Tu quoque romani princeps clarissime regni
Inclite dux, tantam quem nunc conscendere sedem &c.

Schisma *Eugenii* et *Basileensium* et *Albertum Austriacum* eruas. Versus sat facilis est, sed Exemplar mendosum.

XXVI. *fol.* 198. *Incipit tractatus de Peccato originali fratris egidij* (Columnae) *de Roma ord. fratrum heremitarum sancti augustini. Capitulum primum in quo est prologus.* Initium: *Ego sum puluis et cinis. loquar ad dominum meum* &c. Capita VII. prout in Edit. *Rom. Opp.* f. 1555. *Fol.* 48. p. 2. et nobis alibi.

XXVII.